



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

LI. Quid moderni Scriptores de hac controuersia senserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPVT LI.

Quid moderni Scriptores de hac controuer-
sia senserint.

Nondū hic addi possunt omnes Auctores, quos in Prolegom. adduximus, dicentes, ad liberam actionem necessarium esse, ut potentia proxima positis omnibus praequisitis ad agendū, possit agere, & non agere. Item quos allegauimus in lib. 3. dicentes, voluntatem praeexistentem ordine naturae plenē constitutam in actu primo, & sic indeterminate ipsam determinare cum concursu proportionato, & simultaneo primae causae efficientis illam de se indifferenter, & quasi independentē ad libera cooperatione voluntatis. Ex his enim principiis euidenter refellitur necessitas, imō & possibilitas auxilij praeeterminantis ad actum liberum etiam si supernaturalis sit, quia & ratio libertatis eadem est, formaliter loquendo, in actu supernaturali, & propter supernaturalitatem non postulat actus maiorem determinationem antecedentem in potentia libera, sed maiores & supernaturales vires, quae in actu primo sine prae determinatione dari possunt.

Quidam verō contra nos allegat Doctores Scholasticos asserentes, voluntatem beneplaciti Dei ineffabiliter, & semper impleri, & esse immutabilem, prae definireque actus liberos praesertim praedestinatorum, & ad hoc citat Bonauent. in 1. dist. 40. & 47. Scot. dist. 39. & 46. Capreolum dist. 45. Heruenum d. 38. & 46. & Guillel. de Rubion. 1. dist. 38. 48. & 47. & posset allegare omnes de voluntate, scientia, & praedestinatione Dei scribentes. Sed illa omnia generalia sunt, & de illis non est inter nos controuerfia. Nemo enim Catholicus negat, voluntatem Dei absolutam, & beneplaciti semper impleri, & esse immutabilem, nec etiam de praedestinatione actuum liberorum nunc disputamus, & nullus ferē est, qui absolutē negat, posse Deum illos praedestinare, sed tota controuerfia est de modo praedestinationis, & concordiae, cum vltimate libertatis nostrae, & consequenter de modo, quo Deus efficaciter, seu infallibiliter exequitur per hominem id, quod praedestinauit, aut praesiniuit eum velle.

At verō dicti Auctores nunquam docuerunt, hanc executionem fieri media praedeterminatione ad extra, quae ita necessiter voluntatem, ut non possit illi resistere, postquam illi semel imprimitur simili, vel maiori necessitate, ac independentē ab eius libertate, nullūque inuenietur ex antiquis Theologis qui talem praedeterminationem cum libertate arbitrij concordare fuerit conatus. Imō supponere videntur concordiam libertatis cum tali praedeterminatione esse impossibilem, & ideo illa praetermissa aliter concordiam explicant, vel media aliqua conditione inclusa in obiecto diuini decreti, ut Alens. vel media aliqua praescientia, ut Bonauent. supra, & tractat bene Andreas de Castronou. in 1. dist. 22. quæst. 5. & 6. & attigit Okam in 1. dist. 83. quæst. 1. liter. 1. Gregor. qu. 2. art. 2. Gabriel art. 1. in 2. parte illius. VValdens. lib. 1. Doctrinal. fid. cap. 28. Ioan. Arboreus tom. 1. Theosoph. lib. 4. cap. 11. Idemque constare potest ex dictis de libero arbitrio in Prolegom. 1. & de concursu Dei cum voluntate creata in libro tertio. Quocirca in locis citatis dicunt quidem in generali diuinam voluntatem absolutam semper impleri, & ad eius omnipotentiam pertinere, ut possit, quod vult facere per voluntatem creatam liberē operantem, modum autem in particulari, vel non declarant, vel semper ita illum exponunt, ut necessitas, quae in illo interuenit, non sit antecedens, sed consequens, ut saepe tetigimus.

7. Sedes mo-
dethorum
Scriptorum
post Conci-
lium Tride-
ntinum.
Eos Scriptores sub hoc titulo comprehendo, qui post Concilium Tridentinum hoc punctum attigerunt, & ideo initium sumam à M. Soto, qui eodem tempore, & ad ipsum Concilium opus de natur. & Grat. scripsit, & magnum meritū apud omnes habet auctoritatem. Hunc ergo insignem Theologum purē & sincerē pro nostra sententia allegauimus in lib. 3. de auxiliis cap. 13. in fine, quod malē tulerunt contrariae sententiae Auctores, & quidam ipsorum tacitē me accusat, quod non ex fide verba eius quaedam interposita subricendo, allegauerim, ipseque longo discursu Sotum in suam sententiam trahere conatur. Sed licet potuerim vel Sotum non attentē legere, vel propter affectum ad propriam sententiam illum non intelligere verisimile tamen assero, fideliter eum retulisse, sicut illum intellexi, nihilque ad occultandum, vel mutandum eius sensum, sed solum breuiter causa aliqua verba, quae necessaria non videbantur, omisisse. Nunc verō cum iterum, atque iterum varia eius loca relegerim, constanter affirmo de auxiliis gratia idem, quod nos diximus, docuisse, excepto vno modo loquendi de auxilio, seu concursu simultaneo, in quo etiā nunc alij recentiores Thomistae à Soto discrepant, & fortasse solum in verbis discrimen positum est.

Explico singula. Nam Soto in lib. 1. de Natur. & Grat. cap. 13. assertionem de libertate nostra in operibus conuersionis inde probat, quod *neminem coactū Deus, vel necessitate ad se trahit, sed in nostra est potestate gratiam eius respicere*. Vbi pondero primō, post vocem *coactū* addidisse, vel *necessitate*, ut non solum trahi libertatem à coactione, sed veram indifferentiam libertatem tueretur. Secundō notō, loqui de necessitate ab extrinseco illata à Deo, posita, ex parte intellectus, aduertentia necessaria, ac sufficiente ad conuersionem, nam excludit necessitatem à Deo prouenientem ab illo, qui actu conuertitur. Vnde talis necessitas non poterat esse nisi ex aliqua motione Dei, ac proinde respectu illius in sensu composito. Iudicauit ergo Soto hanc necessitatem esse contrariam verae libertati, & ideo illam in conuersione negauit: quam tamen fautores physicae praedeterminationis, vel requirunt, vel admittunt. Denique ad libertatem hanc necessariam credidit, ut in homine, qui conuertitur, sit potestas resistendi gratiae, utique trahenti, nam hoc est illam respicere, ut supra circa Concilium Tridentinum diximus, cuius formam loquendi Soto imitatus est; postea verō addit, nunquam per Deum stare, quominus ipsi pulsanti aperiamus, quod certe non ita esset, si praedeterminatio esset necessaria, ut supra ostensum est; postea verō radicem propriam huius veritatis attingens ait, *Non enim ad se nos trahit Deus, ut pecudes, & c. sed illuminando, dirigendo, pulsando, & instigando, ubi non aliter modum tractionis, & praemotionis Dei exponit, quam nos cum Augustino explicauimus*. Neque in toto discursu illius capituli aliud peragit, nisi eandem doctrinam verbis Scripturae, Augustini, Hieronymi, & Bernardi confirmare.

Ac verō in fine quarti hunc eundem locum recognoscens Soto, repetit quod ibi dixit, causam proximam, cur ex duobus vocatis vnus iustificatur, & non alius, ex libertate arbitrij sumendam esse, scilicet, quia iste assensurē voluit, ille noluit.

Allegatur
Soto.

A Deo ne-
minem
coactū ad se

Notandum.

Reuerent.
Ant. de Ca-
stronou.
Olom.
Gregor.
Gabr.
VValdens.
Arboreus.

noluit, nam ex prædeterminatione solum causa remota redditur. Addit priorem partem esse intelligendam de causa materiali, & dispositiua, quod intelligit respectu infusionis primæ gratiæ, nam respectu actualis conuersionis, cur in vno sit, & non in alio, causam proximam dicit esse libertatem voluntatis. Addit tamen, *Quidam verò hoc taxare voluerunt, dicentes, quod nimirum tribuerim libero arbitrio in iustificationis causa.* Si nobis exposuisset Soto, quam ob causam illi censores, quos refert, dictum eius taxare voluerint, euidentius mentem suam explicasset. Verisimillimum autem existimo, ideo censores illos in dictis Soti offendisse, quia motionem Dei prædeterminantem è medio tollebat, & quia præter prædestinationem, non reddebat ex parte Dei aliam causam proximam, ob quam ex duobus vocatis vnus conuertatur, & non alius, præter libertatem voluntatis, sentiens in tota vocatione, & in omnibus motionibus præuenientis gratiæ posse esse æqualitatem, & nihilominus in actuali conuersione posse esse discrimen, hoc enim est, quod ibidem ait, *Cum ex duobus vtrunque Deus aspiret, cur iste conuertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi quia vnus præbet assensum, alter verò minime.* Quod certe non esset verum, nisi aspiratio esset æqualis, alioqui ex maiori aspiratione posset reddi ratio. In illa ergo doctrina euidenter supponebat Soto, non dari ei, qui conuertitur, prædeterminationem præuiam, quæ alteri negetur. Hoc ergo est, quod alij taxare voluerunt: iam enim fortasse opinio illa inceperat pulsare. Et nihilominus ipse constanter respondet, Et tamen salua semper Ecclesiæ Catholice censura, arbitror necessario dicendum. Et rationem reddens addit, *Assensus enim liberi arbitrij non est causa præueniens motioni Dei, sed effectus eiusdem motionis idem præuenientis liberum arbitrium.* Qualis autem illa sit, explicat, dicens, *Est enim pulsatio, & aspiratio Dei ad corda nostra, & de hac aspiratione, & præueniente motione dicit esse causam nostri consensus, non tamen habere hunc effectum necessariò, quia oportet liberum etiam arbitrium suam cooperationem adiungere, quam doctrinam exemplis, & testimoniis locupletat, nihil tamen mutat, neque addit in substantia doctrinæ, ideo non oportuisset tam prolixè verba referre, nisi nos aduersariorum instantia cogeret, Illud denique verbum, quod postea subdit, *Qui audit, & discit, venit ad me, quæsi in nostra potestate sit trahenti assensum, vel dissentire, prædeterminationi est contrarium, quia talis potestas non est in nobis, si tractio per physicam prædeterminationem fiat.**

Hanc eandem doctrinam latiùs exposuit Soto in dicto lib. 1. cap. 16. vt in altero loco refert, & tacite confirmat. Ibi enim tres ordines effectuum gratiæ, qui in nobis sunt à Deo, distinguit, in primo ponit motiones gratiæ præuenientis, quibus Deus solus mouet corda nostra; explicat autem idem Soto, particulam illam *solus* excludere liberam cooperationem nostram, non tamen vitalem efficientiam. Et in hoc ordine ponit inspirationes, illuminationes, pulsationes, ac denique totam internam vocationem, quam excitando, & suggerendo Deus in nobis facit. Neque agnoscit aliam motionem præuiam, quæ à solo Deo, nobis nec liberè, nec vitaliter cooperantibus, in nobis fiat. Neque ego, (inquit) *contrarium potuit vnquam excogitare.* In tertio ordine ponit habitus infusos, qui ad præsens non referunt. Igitur in secundo ordine ponit quemlibet actum supernaturalem liberum, etiam ipsam conuersionem inter quam, & priores actus gratiæ excitantis, non ponit mediam aliquam motionem, quæ à Deo solo fiat, sed dicit simul tempore fieri à Deo, & à nobis. Et ita adhuc secundum effectum præter priorem gratiæ motionem, nihil aliud requirit, nisi auxiliū

simultaneum, seu generalem gratiæ concursum. Vnde paulo inferius de hoc secundo genere motionis Dei ait, *Neque aliud est huiusmodi concursus, quam cum concurrere ad elicendum liberum assensum.* Et ibidem expressè addit, quando vnus conuertitur, & non alius, esse necessariò in æqualitatem in hoc concursu, non verò in præuenientibus motionibus.

Dices ex his rectè colligi non posuisse Soto prædefinitionem distinctam ab actu conuersionis, seu in actu primo, nihilominus tamen potuisse illam ponere in actu conuersionis, seu in ipso met concursu ad illum. Et videtur ita sentire, nam ait, per hanc motionem Deum nos trahere, conuertere, promouere, eoq; aliquem melius conuertere, quo hanc motionem recipit auctiorem, & meliorem. Denique addit, *illam motionem Dei licet sit simul, esse priorem naturæ cooperationem liberi arbitrij, cum ergo inseparabilis sit cooperatio liberi arbitrij ab illa motione Dei, erit illa prædeterminatio eius in actu secundo.* Quam verò fuerit Soto alienus ab hac cogitatione ponendi prædeterminationem in tali concursu, euidenter, vt opinor, conuincitur ex his, quæ dicuntur principio eiusdem capitis; proposita enim difficultate quomodo possit voluntas liberè consentire, cum Deus per suam omnipotentem voluntatem, cui humana non potest resistere, illam moueat. Respondet in summa, voluntatem humanam posse illi motioni resistere, seu facere, vt in re non ponatur, nec hoc esse contra omnipotentiam Dei, quia ipse disposuit cum singulis causis modò proprio concurrere, cum naturalibus naturaliter, & cum voluntariis liberè. Et ad hoc explicandum subiungit, *Quocirca quicquid Deus vult voluntate absoluta, & quæ dicitur beneplaciti, iuxta illud, Voluntas eius quis resistet? Quando cum libero homine concurrat, non vult illud fieri, nisi iuxta humanam naturam, & libera voluntate, quæ idcirco resistere deopote.* Vnde euidenter distinguit hanc posteriorem voluntatem, à voluntate absoluta, & beneplaciti, & consistere nullus potest, ergo sentit esse conditionatam, & ob inclusam conditionem non esse omnino efficacem ac beneplaciti, ac proinde illi resisti potest. Conditionem autem in illa voluntate ex parte obiecti inclusam explicat inferius, dicens, *Ante operis actum secundum generis operis, quæ ita in nobis Deus excitat, ipsi tamen assensum præbeamus.* Hæc ergo conditio est in obiecto illius voluntatis positæ, & ideo non est absoluta, nec omnino efficax, & inde fit vt liberū arbitrium possit illi resistere, vel suspendendo actum suum, vel alium repugnantem efficiendo. Quod certe non posset, si Deus per absolutam voluntatē talis actus, vel effectus concursus suum præstaret, tunc enim & solum ad illum actum offerret concursum, & sic nullum alium actum posset voluntas hominis efficere, & determinare prorsus, vel potius necessitaret voluntatem hominis ad exercitiū talis actus, vt supra ostensum est: quapropter nullo modo posset humana voluntas illi voluntati Dei resistere. In his ergo omnibus Soto nobiscum consentit. Alia verò, quæ ex eodem Soto super epistol. ad Rom. allegari solent, ad rem non pertinent; nam sunt generalia principia de gratia præmouente, & efficaci, & de prædestinatione quam omnes admittimus.

Vnum verò est, in quo Soto à nobis differt videtur, quia dicit illum concursum prout est motio Dei, esse priorem naturæ, quam sit cooperatio nostræ voluntatis, & consequenter esse vnum ex prærequisitis ad consensum, & non ex concomitantibus. Sed in hoc eius sententiam non probamus, nisi fortasse ita explicetur, vt in verbis tantum nobis discrepetur. Non enim ponit duos concursus Dei necessarios ad consensum post motionem gratiæ excitantis, sed vnum tantum, vt ex diffinitione illorum capitum constat; ille autem concursus inhibitus necessariò esse debet in ipsa actione voluntatis.

luntatis, & ab illa in re non distingui, ideoque nec potest esse ex praequalitate ad agendum, neque prius, sed simul natura secundum propriam rationem causalitatis. Et in hoc iam nobiscum conveniunt moderni Thomistae, & consequenter recedunt a sententia Soti in illo sensu intellecta. Quod si fortasse Soto existimavit in ipsomet actu consensu actionem Dei, & actionem voluntatis esse in re distinctas, & ideo actionem Dei esse praequalitam & priorem naturam, iam hoc à nobis satis refutatum est in cap. 4. Et supposito illo sensu fateor incaute incidisse in quendam modum physicae praedeterminationis, non vidisse autem repugnantiam, quā hic sensus includit cum his, quae in eodem capite dixerat, nec fortasse de illatione cogitasse. Posset tamen intelligi de prioritate naturae late sumpta, ut dicit prioritatem independentiam, & perfectionis, vel certe posset exponi de auxilio non ut iam posito in voluntate hominis, sed ut oblato ex parte Dei, sic enim dicitur recte esse prius natura, & cum illo sic oblato posse voluntatem hominis agere, seu ei resistere. In alio enim sensu impossibile est, quod Soto ait, illo posito esse in facultate voluntatis agere, & non agere, nam cum dicit, illo posito, iam facit sensum compositum, at posito ad extra concursu Dei in hominis voluntate, impossibile est illam non agere. Et similiter falsum erit, quod dicit, ante divinum concursum non potest voluntas agere, nam loquendo de concursu ad extra posito in voluntate hominis, falsum est: nam prius tempore, vel natura, quā illam in se recipiat, potest voluntas agere, quia ut possit, sufficit ut habeat concursum oblatum. Fateor tamen Sotum si in hoc sensu loquutus est, immerito & æquivoce sententiam, quam refert, impugnare. Quapropter in hac parte eius philosophandi rationem non probamus.

Secundo loco allegari solet in utramque partem Vega libro 6. in Trident. à capite 4. vsque ad 9. Sed ibi ferè transcribit doctrinam Soti, ideoque circa eius loci sensum immorari non oportet, nam reuelalubricè loquitur, quamvis nihil ibi dicat, quod sine praedeterminatione physica intelligi non possit, ut libro 1. de auxil. cap. 14. & libro 3. cap. 13. sufficienter explicavi. In libro autem 12. cap. 22. ad primam obiectionem sic inquit. *Cuperem clarè, & distinctè tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quae credimus esse necessariam Dei gratiam, ac si solus generalis concursus sufficeret, &c.* Et rationem reddit infra, quia Deus tam admirabiliter suum omnem concursum, & omnem suam scientiam, praedestinationem, & voluntatem voluntatis nostrae arbitrio subiecit, ut possit ipsa de se quicquid voluerit statuere. Certè hæc malè coherere possunt cum physica praedeterminatione, imò exaggerationem continent, quam prudenter accipere, & explicare oportet. Præterea in lib. 13. cap. 12. multa dicit de auxilio efficaci, quæ cum praedeterminatione physica subsistere non possunt. Nam in primis ait, peccatorem induratum, qui à Deo sufficienter excitatur, posse auxilium efficace ad ultimam conversionem, & dispositionem ad iustitiam impetrare, si velit. In quo duo includuntur, vnum est hominem sic excitatum posse per illam solam excitationem cum generali concursu gratiæ proximè, & immediatè aliquid licitè operari, quo aliud maius auxilium impetret. Aliud est auxilium efficace esse in hominis potestate interdum proxima, interdum remota, in ordine ad diversos actus. Verumque autem horum pugnat cum physica praedeterminatione, ut satis in superioribus ostensum est. Verba aliqua eius, quia energiam, & vim habent, hic transcribam, cum enim dixisset induratos posse poenitere, licet in divina providentia, & prophetia infallibile sit eos non acturos poenitentiam, subdit. *Et horum omnium causa est, quia li-*

cet nullus valet poenitere sine auxilio divini, tamen illud auxilium potest quicumque, si velit, habere, etiam si eo sit privatus. Sicut & auxilio generali ad loquendum careo, cum hoc scribo, tamen illud possum, si velim, habere, & ideo liberè taceo, & possum cum voluero, loqui. Et Deus quidem omnibus peccatoribus perseverantibus in peccatis subtrahit auxilium efficace ad poenitentiam, quod solis illis praestatur, quos verè suorum poeniteret. Sed quia derogare non novit legibus communibus, praesertim favorabilibus, nunquam alicui sic subtrahit, nec quengquam in hoc punit, ut non possit hoc auxilium, sicut, & generale habere, hoc enim esset legem communem invertere, & viam terminum facere, sed punit omnes peccatores qui non convertuntur in hoc, quod habeant auxilium quo convertantur.

Et in cap. 13. de eisdem induratis ait, quod simpliciter, & absolute possint poenitere, satis, opinor, explicavimus ex eo, quod quicumque peccator potest cum voluerit, habere auxilium Dei efficace ad resurgendum. At profectò non ita potest peccator habere cum velit physicam praedeterminationem, cum nec velle hoc possit, nisi ad illud velle praedeterminetur, ut satis in superioribus deductum est. Ergo ex sententia huius auctoris auxilium efficace non consistit in physica praedeterminatione. Quod verò idem auctor subdit, aliquos in sensu composito non posse converti, ipse tum in illo, tum in capite praecedenti satis exponit de sensu composito cum praesentia Dei quoad impossibilitatem simpliciter, vel de sensu composito cum aliqua prava consuetudine, vel frequentia peccandi quoad moralem impossibilitatem. Et his opposit potestatem simpliciter, quæ consideretur ex vi praeventis auxilij sufficientis cum libertate arbitrij, & dicit esse in potestate cuiuslibet peccatoris habere auxilium efficace ad suam conversionem, quod verisimè dictum est, & repugnat, (ut ostendit), cum physica praedeterminatione. Signum ergo est Vegam nunquam de illa cogitasse pro auxilio efficaci explicando. Vnde inferius per auxilium efficace explicat concursum simultaneum, quam Deus nemini negat, si per eum non steterit, quod sano modo intelligendum est iuxta superioris dicta. Concursus enim actualis dicitur specialiter efficace, quia ex natura sua est necessariò coniunctus cum cooperatione liberi arbitrij, nec potest ab illa separari, quod non habet auxilium excitans, & ideo nec habet illum modum efficace, nec semper est efficace, licet alio modo, scilicet, ob congruitatem sapè sit efficace, ut explicavimus.

Tertiò potiori ratione pro nostra sententia profero Alphonsum à Castro lib. 7. cont. haeres. verb. Adducitur Gratia haeres. 1. quem etiam in lib. 3. de Auxiliis allegavi. Et licet aduersarij abnuant fortasse, quia non loquitur expressè de praedeterminatione physica illam negando, tamen negare non possunt, quin explicando ex professò auxilia gratiæ, & concordiam eorum cum libertate, ita de illa praedeterminatione taceret, ut non solum illam negare, sed etiam prorsus ignorasse ostenderit. Nam in primis per quinque assertiones, quas catholicas vocat, quarta est. *Postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo mouenti, & inspiranti consentiat, vel dissentiat.* Respondendo autem ad primam obiectionem, illam magis declarans dicit, *hanc esse arbitrij nostri libertatem, ut Deo mouenti consentiat, & cooperanti cooperetur.* Vbi iam non de sola potestate, (quod aduersarij arripere possint,) sed de actuali conversione loquitur, & ad illam nihil aliud, quā excitantem gratiam, & cooperationem Dei requirit, & addit. *Deus autem nunquam seipsum nobis negat, imò semper paratus est, ut nos excitet, & adiuvet.* quod non satis esset, si praedeterminatio esset necessaria, quia ad illam non est omnibus Deus paratus, imò quod illum se multis, & innumeris homi-

Idem Vega.

Adducitur Alphonsus à Castro. Obiectio.

Solutio.

hominibus negat. Et in responsione ad 2. obiectum eandem doctrinam pluribus verbis repetit, & apertè docet ad opera gratiæ hæc duo tantum auxilia esse necessaria, scilicet, *præuentionem*, & *cooperationem*. Præuentionem autem exponit, dicens. *Deus ergo præuenit mouendo, & excitando, nos autem sequimur obediendo per consensum*. Cooperationem autem vocauerat in assertionem 3. *concausationem generalem Dei*, & per illam in dicta responsione dicit Deum adiuuare infirmitatem nostram, & nos vocari à Paulo *coadutores Dei*. Ex quibus verbis (ait) aperte satis colligimus in eodem opere simul Deum, & nos operari. Docet ergo omnia, quæ nos de his auxiliis sentimus, & dum nihil addit, indicat hæc sufficere, alioqui mutila doctrinam tradidisset, & insufficientissime obiectionibus, & difficultatibus satisfecisset. Eandem doctrinam confirmat in l. 9. verbo *libertas*, hæref. i. circa finem, & omnia quæ in confirmationem libertatis ibi adducit, eò tendunt, vt ostendat non solum hominē de se liberum esse, sed etiam postquam Dei præuiam motionem accepit, sui iuris esse, vt in hanc, vel illam partem determinari incipiat. Et apertè dicit Deum expectare hanc hominis cooperationem liberam postquam illum vocauit.

10.
Attrexiur
Michael de
Palacios

Deus bifari-
am liberū
arbitrium
mouere.

Quarto 1. ber hic Michael de Palacios atrexi-
re, quem in lib. de auxilijs prætermisi, quia de con-
curfu Dei aliter quam nos loqui, & sentire visus est
in l. d. 46. Nunc autem, quia inuenio illum pro phy-
sica prædeterminatione allegari, cogor illius sen-
tentiam expendere, vt veritas innotescat. Citatur
ergo in 2. dist. 25. & 26. quia dicit, *Deum bifariam mo-
uere liberum arbitrium, efficaciter, & ineffaciter*, quæ
verba habet in d. 25. in ultimo §. totius disputatio-
nis, respondendo ad argumentum in principio po-
situm. Sed videamus quomodo membra illius
partitionis exponat, ait, *Ineffaciter quidem mouet,
quando excitat, vocat, præuenit, non subsequente effectu*. Effi-
caciter verò quando incipienti Deo cooperatur liberum arbi-
trium, & mouenti salutem, parat nostra voluntas. quæ ver-
ba si in Molina inuenirentur, dicerent fortè non
distinguere auxilium efficacē ab inefficaci, nisi ab
euentu, & illum sequi, vel non sequi pro innata vo-
luntatis nostræ libertate; ergo vt minimum ex eis
colligere debemus, eum non posuisse motionem
mediam inter excitationem, & consensum, in qua
constat efficacia, sed ipsam excitationem vocari
efficacem, quando ita datur, vt obtineat consensum
inefficacem verò, quando illum non consequitur.
Addit verò aliquid, quod videtur nobis contrariū,
videlicet, quando Deus mouet ineffaciter, tunc
necessariò sequi consensum. Ceterum quando effi-
caciter mouet, tunc liberum arbitrium necessariò cooperatur;
qualis autem sit illa necessitas, ita exponit. Nam hoc
est efficaciter moueri, quod subsequatur cooperatio liberi arbi-
trij. Non ergo ponit necessitatem in causa, seu in in-
trinseca virtute motionis, sed in effectu, quia cum
dicitur motio efficax, iam dicitur illi cooperari li-
berum arbitrium. vnde adiungit, *Ad hac necessitas non
est simpliciter, sed secundum quid, quia illa cooperatio liberi
arbitrii est necessaria sub instanti, sub quo est, quia omne quod
est, quando est, necesse est esse, at est libera simpliciter, quia po-
terat liberum arbitrium illam non præstare*. Ac si diceret,
est necessitas consequens, non antecedens, id est, ex
suppositione ipsius vsus liberi, non ex suppositione
motionis, nam illa non obstante posset arbitrium
suam cooperationem non præstare. In dist. autem
26. vbi de gratia operante, & cooperante disputat,
nullam aliam præoperantem gratiam actualem ag-
noscit, nisi auxilium. (ait) *quo Deus excitat mentes ad bene
volendum, quod auxilium vocat etiam gratiam præ-
uenientem, & vocationem, quam cum Augustino
efficacem bonæ voluntatis appellat*. Vnde repetens in-
feriùs diuisionem gratiæ efficacis, & inefficacis
dicit, tunc esse inefficacem quando est sola gra-

tia operans, efficacem verò quando est etiam co-
operans; tunc autem est cooperans, quando cum
illa agit liberum arbitrium. Nullam ergo præde-
minantem gratiam hic auctor agnouit. In eor-
rò, quod alibi dixit de concursu Dei, vel non satis
consequenter loquitur, vel certè in modo tantum
loquendi differt, vt de Soto diximus, nam eodem
modo, quo Soto, de prioritate naturæ generalis
concursus loquitur.

Venio ad alios auctores, qui contra Caluini
ex professo scribentes punctum huius causæ di-
stinctius attigerunt. Quinto ergo loco numeramus
Ruandum, quem Bannez, & Ledesma ingenue
fatentur sententiam nostram docuisse, Cuius re-
rò cum id simpliciter negare non sit ausus, dicit
saltem variè sentisse, & interdum in vnam, inter-
dum in alteram partem declinare, ac denique
vtrunque partem censuisse probabilem. Quo-
niam verò hic auctor in art. 7. contra Lutherum
ferè à principio per multas paginas punctum hoc
prosequitur, ad iudicium ferendum de illius sen-
tentia, non hæc, vel illa verba separatim sum-
psumenda sunt, sed tota series doctrinæ est atten-
denda, & non quid dubitationis mouen-
do, aut difficultatis proponendo, sed quid deinde
do, & assertiones stabilendo dicat consideran-
dum. Primum ergo pro fundamento totius matie
ponit receptam definitionem liberi arbitrii, quam
nos in Prolegom. 1. posuimus. *Liberum arbitrium
facultas, quæ posita omnibus requisitis ad eligendum, & re-
futare, non eligere, & non agere, quam descriptio-
nem de potestate composita cum omnibus requisitis
tis declarat, dicens. Ita videlicet, quod omnibus similibus
se habentibus quando eligimus, possumus non eligere, & non
runtque refutare, & quando non eligimus, aut refutare,
possumus eligere, aut refutare*. Statim verò proponit
difficultatem de generali concursu, dicens, *quod
facilem, quia Deus mouet vnamquamque causam
modo illi accommodato*. Propter quod ait, *Deus
liberum arbitrium sic mouet, vt non ex necessitate mouet,
nec ad vnum ipsum determinet, quæ duo æquiuocant
cenlet, & ideo vtrumque negat, ea verò verbis
distinguit, vt tergiuersationibus occurrat*. Ex
hoc ergo fundamento post plures columnas §. Et
quia articulus, procedit ad tractandum de concordia
libertatis in operibus pietatis, cum necessitate gra-
tiæ ad illa exercenda, & infra in §. Et post hanc per
liberum arbitrium, nomine gratiæ inclarat intelligi
auxilium gratuitum animam interius mouenti, digne-
tis, & inspirantis ei cogitationes salutares, ad bonum pro-
positum, atque ad ea, quæ sunt salutis. Et infra di-
cit, *Deum in corde operari, illuminando intellectum,
& voluntatem afficiendo*. Et iterum, *Diuina inspi-
ratio, suggestio, pulsus ad osium cordis, directio Dei, quan-
do intus in corde sunt, propriè sunt gratia, per quam li-
berè agimus*. Omnis tamen affectus Dei gratuitus, qui natus
est salutem hominis promouere gratia hic intelligi potest.
Et addit, hanc esse gratiam, quæ in interna Dei matrem
constituit.

Ex quibus constat nullum aliud auxilium præ-
mouentis gratiæ hunc auctorem cognoscere, nisi
illud, quod in his moribus gratiæ excitatis con-
sistit. Posteriores verò columnas attingens coope-
rantem gratiam dicit, *Licet gratia sit ratio operan-
di; nihilominus totum pium opus, & quicquid est boni
& gratia esse, & liberi arbitrii*. Et rationem infra
inducit, quia licet actio habeat à gratia, quod est
supernaturalis sit, à voluntate habeat, quod est
liberā, Nulla enim est actio (inquit) libera, nisi
vim, & naturam liberi arbitrii à qua sola nascitur
libertas. Paulo verò inferius difficultatem quæstio-
nis huius concordie argumentando, & dubitan-
do dicit. *Deum vt voluntate, vt instrumento, ap-
plicando illam ad opus quam difficultatem etiam in ope-*

ribus liberis naturalis ordinis inueniri dicit. Quia per diuinam prouidentiam voluntas mouetur, & determinatur ad opus. Cui postea respondet, Deum agere in cordibus nostris iussione inclinando, & dissuasiue auerendo. Quia nouit, (inquit,) Deus vocare vnumquemque quomodo pro suo arbitrio aptum, & idoneum nouit ad sequendum. Quod latè testimoniis Augustini à nobis suprà citatis confirmat, nequiliū modum, quo Deus voluntatem nostram determinet, admittit. Quia iussio sola, (dicit paulo inferius,) siue ab homine, siue à Deo fiat, non mouet efficaciter voluntatem. Ipsa enim sola, (inquit,) ex suo iudicio se flectit in eam partem, qua magis placet. Vbi particula sola non excludit generalem concursum simultaneum Dei, excludit ergo prædeterminationem efficacem ab extrinseco agente. Nihilominus tamen statim subdit, posse Deum efficaciter flectere, hominis voluntatem, à proposito, quod habet in aliud. Hoc verò consequenter exponit de efficaci motione per suasionem accommodatam iuxta infinitam scientiam, & potentiam Dei, sic enim ait, Sed hoc facere potest Deus in operibus pietatis per semina sanctarum cogitationum, & affectionum, quibus misericorditer hominem præuenit, quod testimoniis Augustini latè comprobatur.

Hoc ipsum prosequitur in §. Potest etiam homo, ubi parum post principium distinctius proponit quæstionem, quam obscuram, & perplexam esse dicit. An bonus vsus gratia, qua à Deo præuenimur, & qua voluntas ad conuersionem præparatur, nostri sit liberi arbitrij, &c. quam docet variis Augustini testimoniis, quibus docet conuersionem esse tribuendam libertati voluntatis, non tamen soli, sed diuinitus adiutæ, vtique per cooperantem gratiam. Quia verò Augustinus in multis locis videtur loqui de sancta cogitatione, & illuminatione, quæ ad intellectum pertinet, addit inferius Ruardus, quod licet præter suasionem ex parte intellectus, exigatur alia gratia, per quam immediatè inclinatur, & accommodatur voluntas per primum affectum, per quem etiam voluntas à Deo effectiue flectitur, nihil mutat, neque impedit voluntatis libertatem in libero vsu gratia, quia ita suauiter inlinat, & determinat eam Deus, vt ex consilio, & iudicio, & sic liber sequatur hanc Dei appropriationem. Ex quibus verbis non satis perpensis existimauit F. Cumel docuisse Ruardum prædeterminationem physicam ad consensum non repugnare libertati consensui. At Ruardus longè est ab illo sensu, sententia enim eius in eis verbis est, præter illuminationem intellectus mouere etiam Deum voluntatem, determinando illam ad aliquem affectum non liberum, sed necessariū, nec propterea lædi libertatem in bono vsu gratia, quia ex illo priori, ac necessario affectu sequitur per liberam determinationem consensus. Quem sensum euidenter declarat, dum addit. Spiritus Christi suadendo vt sequamur, simul voluntatem quasi naturaliter efficit placentia quadam rei iussa, quæ est voluntati ratio se determinandi, principium, & seminarium bonarum volitionum, quas ex eo quasi semine producit. Non poterat certè clariùs, aut doctius rem explicare, & ostendere, neque ponere præuiam motionem gratia, nisi per actus vitales, tam voluntatis, quam intellectus, nec ponere necessariam consecutionem consensus ex talibus actibus, sed docere ad illum se determinare voluntatem gratiam adiutam. Et, quod caput est, subiungit statim. Quod autem diximus de libero vsu, liberòque neglectu gratia, quæ datur ad penitentiam, & conuersionem peccatoris, quodque & ad ipsam vel vti possumus, & conuerti, vel negligere etiam eam, quæ ad conuersionem est sufficiens, sic quod ea stante non conuertamur, adeo vt in neutra parte contradictionis sit necessitas, sed meræ contingentiæ, definitum esse in Concilio Tridentino, in decretis, & Canonibus de iustificacione. Et post verba Concilij

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

adiungit. Nam sicut credere voluntarium est, ita & de peccatis propter Deum penitere, & ab eis ad Deum conuerti, nec vlla ad hæc esse potest per quamcumque gratiam necessitas, quin contemni possit.

Post prædictam verò resolutionem, quam satis constanter tradit, mouet alias quæstiones, quibus per varias assertiones respondet, quarum plures eandem doctrinam continent, & extendunt potius quàm diminuant. Nam in prima ait, posse hominem ex viribus liberi arbitrij sufficientem vocationem non contemnere, quia potest non peccare, & contemnere esset peccare. In secunda verò ait, percipientem Dei pulsū posse sine noua gratia habere sibi gratum, quod Deus cor eius pulsare dignetur, vtique per nouum actum liberum, vt euidenter exponit. In quo necesse est, vt de gratia præueniente loquatur, nam noua gratia concomitans semper necessaria est, vt in tertia assertionem statim declarat. Quod ergo in prima dicit, de viribus liberi arbitrij intelligendum est, vel præcisè, spectando libertatem actus, vel melius non excludendo concomitantem gratiam, quæ semper ad non peccandum contra naturale præceptum necessaria est: nam quia illa non præcedit liberum arbitrium, sed comitatur illud, ideo non semper exprimitur. Vnde vniuersaliter addit in quarta assertionem, Omnes gratias, quæ sunt nobis operandi principia, aut quibus dirigimur, & protegemur, & vniuersæ, quia præcedunt tempore, vel natura Dei operationem efficacem, esse posse sine vsu & fructu, & c. nec voluntati adducere necessitatem. Et in quinta, & sexta explicat gratiam efficacem per vocationem ex proposito. In septima verò clarissimè attestatur eandem vocationem in vno non habere effectum, quia sola sua libertate illam negligit, ideo verò habere conuersionis effectum, quia ipso annuente Deus conuersionem eius efficaciter operatur, vtique auxilio simultaneo. Nam ideo subdit, in hoc seruari proportionem inter supernaturalia, & naturalia. Ideo enim, (ait,) qui vult ambulare, etiam Deus cooperatur, & si non vult, Deus ei non cooperatur, & tamen nihil est positum absolute ante actionem in vno, quod non sit in alio. Eandemque doctrinam repetit in assertionem 10. de duobus æquè vocatis, quod ex libertate vnus consentit, & non alius. Et reddit rationem. Quia omnibus positis, quæ præcedunt, & requiruntur ad fidem, & conuersionem, libera manet voluntas, nullaque inducitur necessitas se determinandi ad credendum, vel sequendum vocationem, nec ad oppositum. Quod ex Augustino latè probatur, & inferius addit. In omni enim materia, ita pietatis, & gratiarum, sicut morali, & ciuili ad voluntatem pertinet se determinare ad vnam, vel alteram partem. Et addit verba notanda. Et quamuis sub Dei determinatione, non tamen propterea minus liberè se determinat, quam si non concurreret, nec determinaret Deus. Quod profecto dicit propter concursum simultaneum, quem determinationem Dei appellat, quia verè efficit determinationem ipsam voluntatis, quamuis non sine ipsa se determinante.

Et ideo paulo inferius cum dixisset non obstat hæc libertate nostræ determinationis, eos, qui secundum propositum vocantur, indeclinabiliter sequi Dei impulsū, addit, id fieri modo occulto, & soli Deo cognito, solūque constanter affirmat directionem Dei nihil ponere in homine sic indeclinabiliter directo, præter motus cordis, quales sunt etiam in alio, qui secundum hoc propositum non dirigitur. Vnde paulo inferius sic inquit. Potest quidem humana voluntas resistere diuino instinctui, sed non potest impedire intentionem prædestinantis Dei, quia corda hominum in manu Dei sunt, & quocumque voluerit inclinabit ea, quamuis sese efficienter sola determinet, vbi particula sola, (vt sæpe dixi,) excludit prædeterminationem ab alio, non concursū,

R. 5

sum,

Prosper.

sum, nec influxum simultaneum comitantis gratia, ut paulo antea ex Prospero citauerat lib. 2. de vocat. gent. cap. 9. aliàs 25. Non potest ergo de huius auctoris sententia dubitari, nimirum, quod in neganda physica prædeterminatione nobiscum conueniat. Nam licet interdum dicat esse obscurum, quid addat vocatio congrua non congrua, non id dicit propter physicam prædeterminationem, quam pro certo supponit, non addit, sed propter alios modos tollendi aliqua impedimenta, auertendi cogitationes, vel quid simile, de quo etiam inter nostros auctores est controuersia, ut in cap. ... dicam. Atque eodem modo, multo post respondendo ad Caluinum in §. In eo hallucinantur, eandem doctrinam repetit, videtur tamen illam solum tradere, ut probabilem, ita ut liceat unicuique in suo sensu abundare. Sed hoc non de physica prædeterminatione intelligit, sed de quaestione illa, an in eo, qui conuertitur, aliquid prius natura præcedat, quod non detur ei, qui non conuertitur. In hac enim quaestione licet ipse negantem partem, ut probabilior sequatur aliam relinquit aliorum iudicio, addit verò statim. Quod autem Caluinus hic proponit, quod scilicet, morio Dei electionem excludat, improbabile est, & Scriptura, & Patribus aduersatur. Quid autem est electionem excludere, nisi prædeterminare physicè? Et addit notabiliter. Efficacia enim diuina motionis, qua cor hominis ex prauo fit rectum, hominis sit cooperatione. Hæc paulo fortasse fusius, quam par esset à me dicta sunt, cogitamen nos iusta veritatis defensio, nec credimus futurum inutile, nam in his, quæ retulimus, multa tetigimus, quæ veritatem ipsam magis explicare, & confirmare, & aliquas duriores locutiones lenire, & interpretari valent.

16.
Adponitur
Driedo.

Sexto loco ponimus Driedonem, quem pro nostra sententia post nos retulit etiam Ledesma F. autem Cumel doli nos arguit, quod illum diminuit, & subdole allegauerimus. Et mirabiliter, ut ipse ait, ponderat multa in Driedone de Captiuit redempt. gener. human. in 2. eius parte. In primis videlicet, quod comparat Deum mouentem liberum arbitrium per gratiam, artificii videnti aliquo instrumento viuo. Deinde expendit locutiones, quia dicit, gratiam nos trahere, & facere ex nolentibus volentes, & dare non tantum esse posse, sed etiam velle, præuenire, mouere, ac determinare liberum arbitrium. Facile autem Lector aduertet, hæc omnia generalia esse, & ferè omnia in Scriptura contenta, & ideo nihil referre ad punctum controuersie, quod in explicando modo eius efficientie, & efficacie gratia consistit. Vnde quamuis non asseramus Driedonem, in eo capite nostram sententiam docuisse, quia de controuersia non disputat, nihilominus multa in illo obseruari possunt, quibus clarè ostendit, nihil aliud, quam nos de efficacia gratia sensisse.

17.

Et in primis illud ipsum exemplum de artifice, & instrumento statim corrigat, assignans differentiam, quod instrumentum necessitate, & vi impellitur, libera verò hominis anima, (inquit,) à Deo recipit suauitatem quandam, seu inclinationem, qua ex proprio iudicio mouetur, ex libera & spontanea voluntate ad actum, & motum. Deinde prius comparauerat gratiam lumini, & inter alia illud exponendo dixerat. Potestas liberi arbitrii designatur in hoc, quod ipsa mens iam diuinitus mota, & excitata sentiens adeste lesum saluatorem, & ut cunque percipiens præsentem esse medicum, qui paratus est sanare, & illuminare, potest cordis ostium aperire, pulsare, orare, clamare, &c. Præterea nunquam motionem Dei preuiam declarat, nisi per excitantes gratias eodem modo, quo Augustinus, & Prosper, quos refert, licet inter alia inquit, Deus facit sua interna inspiratione præueniens

ob bonum voluntatis nostra consilium, & ex nolente faciem volentem. Omnia ergo illa, quæ Deus dicitur facere in nobis, ut velimus, & faciamus, intelligit hic Auctor sequens Augustinum, & Patres, fieri per inspirationem, & vocationem, cui nostra voluntas cum cooperante gratia statim coniungitur. Neque aliam motionem mediam inter excitantem gratiam, & simultaneum concursum agnoscit, neque vnquam dicit, gratiam Dei determinare voluntatem nostram, ut imponitur, sed solum inclinare, mouere, vel mutare, & familia quæ communiter gratie excitanti tribuuntur. At quamuis verbo determinanda interdum vtatur, ex reliquis omnibus constaret non de prædeterminatione physica quoad exercitium, sed de obiectiua, & sufficienti determinatione moralis, vel de concomitante physica esse intelligendum. Vnde tandem ex pluribus sensibilibus exemplis, & modis loquendi, quibus efficacia gratia declarari solet, illum præfert, quo dicitur Deus esse spirituales medicum, & ducem, & illuminatorem. Et inter alias rationes cur illum modum explicandi præferat, præcipua est, quia ille modus docet nos intelligere quod Deus sua gratia adiuuans hominem neque cogit liberum arbitrium, neque impellit necessitate, neque impedit potestatem libertatis illius. Et similes sententias, & modos loquendi in illo capite reperiunt, quibus eandem mentem, & doctrinam testatam reliquit.

Eandem doctrinam eisdem ferè loquendi modis tradidit Driedo in eodem opere tract. 4. cap. 2. p. 5. ubi in prima conclusione dicit, credere se per vim arbitrii non solum, sed suam, & tractam, & tractam à Deo Patre. Et inter alia addit, Quod Deus sua inspiratione facit eorum animos intenter in ea, quæ ducuntur, & accommodare sese, dociles reddere, & accommodare corda sua Domino. Certe valde aliena hæc sunt physica prædeterminatione. Vnde subiungit: pruenit enim non vim inferendo voluntatibus, sed prauiter trahendo eas, suasionibus suggerendo, & mutando. Et multa similia ibi profertur, quibus satis euidenter hanc mentem suam ostendit.

Magis verò in specie attingit punctum controuersie idem Auctor in tract. 5. eiusdem operis cap. 11. ubi in 4. nam in ca. 1. argumen. 2. confirmat vltim. ut probaret omnibus non dari auxilium necessarium ac sufficientem, obiecerat, quia ex duobus audientibus Euangelium, uti datur auxilium ut credat, alteri non datur. Respondet autem secundum ordinem prædestinationis vnum credere, quia Deus ita creaturam voluntatem preparauit inuitando, & suggerendo, qualiter apud nouit, ut crederet: alium verò non credere, quia non habuit illo modo præparatam voluntatem, sed hoc ideo fuisse, quia ipse ex parte sua contempsit vocationem, ut Augustinus de Iudeis dicit, non potuisse credere, quia noluerunt, sed oculos clauferunt. Vnde ex parte Dei ille, qui non credit, habuit auxilium, ut posset credere, & sese ad accipiendam fidem accommodare. quæ doctrina eadem est cum nostra, nam per vocationem congruam, explicat efficaciam auxilij, & defendit quomodo sine illa habeat aliquis auxilium verè sufficientem, quia per illum stat, ut sua vocatio non sit congrua, quæ in physica prædeterminatione locum non habet. Et tandem plenior illius puncti declarationem in librum de concordia remittit.

At verò E. Cumel nos doli criminatur, eo quod Driedoni tribuamus ea quæ argumentando, & obiciendo in illo libro scribit, non quæ docet definiendo, in quibus suam sententiam docere vult, quia dicit, Deum facere, ut prædestinati se ipsos bene determinent in suis electionibus, & facere, ut ne determinent in suis electionibus, & facere, ut ne determinent, quamuis libere, & quod non solum per se, sed & suggerit, & inuitat, nam hæc pertinent ad causas morales.

rales, sed etiam vltimus voluntatem bonam infundit, atque immutat, quæ citat ex 2. part. illius libro cap. 2. fol. 39. Nihilominus constanter asserimus, Driedonem eandem doctrinam de vocatione congruam, in vtraque parte luculentissimè, & apertissimè tradidisse. Nam in primis in 1. part. illius operis cap. 4. ad 2. De Tyrio & Sidonis, (inquit,) quod isti credidissent si virtutes illæ quæ factæ fuerant in Iudæa, in illis factæ fuissent. Sed huiusmodi, ait, virtutes fuerunt, non solum miracula, & verba foris impena sed & beneficia quadam intus pulsantia Iudeorum pertinacium corda. Vbi aperte docet eisdem beneficiis internis fuisse Tyrios credituros, non ergo prædeterminatione. Et paulo inferius in eodem capite explicans egregiè, ac defendens Chrysostomi locutiones in hac materia inter alia dicit, *Versissimè dicimus nostram esse incipere, & credere, ob hanc, pulsare, petere, inuocare, quia talia non sunt sine nostro arbitrio, cum sint nostri arbitrij opera. Sed ut hæc libera voluntate faciamus, misericordia Dei præueniens intus vocans, & suggerens operatur, largiens spiritum fidei.* In quibus verbis maximè pondero verbum incipimus, in quo scrupulosissimi sunt aduersarij. Driedo autem intrepidè affirmat voluntatem iam præuentam, & excitatam incipere suum consensum, utique se nondum prædeterminationem determinando, Deo illi cooperante. Multaque similia in discursu illius capitis dicit, quæ longum esset referre. Solùm ergo obseruo, nullum motum præuenientis gratiæ ponere, nisi ad excitantem gratiam pertinentem, referendo, & confirmando, quæ in tract. de captiuit. & redempt. dixerat.

41. Jam verò in secunda parte illius operis, quæ tria habet capita, nullus est, qui ignoret, quin primo capite argumentando procedat, nec ego scio aliquem ex nostris, qui mentem Driedonem ex illo capite collegerit, nec ex secundo capite, in prima parte illius, nam ibi præambula quædam tradit generalia, & omnibus communia. Neque etiam in secunda parte illius capitis, ego illam allegauit in libris de auxiliis, quia verò inde obiciuntur verba allegata, respondeo, ibi constituere Driedonem differentiam inter demones, & Deum, quod Deus non potest proponendo obiectum inuitare, sed non potest producere cogitationem malam, aut voluntatem malam, Deus verò non solum inuitat, nec solum sua dat, aut suggerit, sed & voluntatem bonam infundit, ac immittit. Quæ differentia verissima est, locumque habet, etiam in ipsi motibus gratiæ excitantis ante consensum. Nam demon licet possit tentare exterius, vel per phantasmatum, non tamen potest in intellectu efficere cogitationem, aut in voluntate aliquem motum etiam primò primum, Deus autem per se efficit in voluntate affectionem bonam, & dilectionem, & complacentiam non liberam. Quam etiam differentiam nos supra constituimus, ut ostenderemus, maiorem Dei efficaciam in persuadendo, & trahendo voluntatem, quamuis illam non determinet. Illa ergo verba nihil ad præsentem causam referunt. Imò post illa subiungit Driedo *Neuter tamen, (id est, nec Deus, nec Diabolus,) hominis voluntatem cogit, sed uterque exigit liberum hominis consensum.* Et paulo inferius etiam de diuina prædeterminatione dicit, quod libertatem non cogit, & addit, *Sed neque viget vlla necessitate, quod tam in bono, quam in malo, ita libere operatur, ut facere, & non facere æque in eius sit potestate.* Quod quomodo verum sit si prædeterminatio infert physicam prædeterminationem, non video. Cætera verò quæ ibi dicit, maximè in conclusione 5. verissima sunt, & communia, ideòque ad probandam physicam prædeterminationem non pertinentia. In illa ergo parte illius operis tertium caput est maximè considerandum, quem locum in libro 3. de Auxilio allegauit, licet vera omiserim, quia sunt clarissima, præsertim in solutione ad

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

primam secundæ partis §. Quantum verò attinet ad liberum arbitrium, ibi enim in primis ait, *homines à Deo iustificatos sui consiliis, & se ipsos determinare ad bonorum operum electionem, sed Deum facere, ut homo sic determinet.* Declarans autem quomodo id faciat Deus, subiungit. *Ipsæ est à quo sancta sunt desideria, recta consilia, & iusta sunt opera, non quod nos hæc non faciamus, sed quod ipse adiunget, ut nostra voluntate hæc omnia faciamus.* Et addit, quod notandum est, *Nosque sponte incipimus rectè nobis consulere, & de agendo pro nostra salute deliberare.* Et infra repetit, quidquid Deus erga nos incipiens operatur, id facere internis exhortationibus, & inspirationibus. *Voluntas illis excitata præsidio illi operanti cooperetur, quæ sunt verba Prosperi.* Eandemque doctrinam in §. Ad illud iterum, atque iterum repetit, variisque modis exponit, & semper docet tractionem Dei fieri per motus excitantis gratiæ, per quos voluntas accipit potestatem consentiendi, retenta potestate resistendi, & Deum solum trahere, & incipere quoad priores motus, non tamen solum operari ipsum consensum. Ac tandem simili modo in solut. ad secundo declarat tractionem hominis ad fidem per illos motus, post quos homo libera voluntate incipit credere. Et infra in §. Respondeo verissimum, inter alia quæ pro concordia libertatis cum prædeterminatione docet, inquit, *Tametsi homo non possit resistere diuinæ prædeterminationi, & intentioni, seu voluntati, quæ est secundum æternum eius propositum, utique tamen potest resistere diuinæ inspirationi.* Non agnoscat ergo inspirationem, vel motionem ita prædeterminantem, ut ei non possit resistere. Multa denique similia poterit vnusquisque in illo auctore obseruare, sed illa omittimus, quia hæc sufficientissima sunt, tum ad defensionem nostræ fidei in allegando, tum etiam ad veritatis confirmationem.

Septimò allegare solemus Stapletonium, quia non solum assertorem, sed etiam propugnatorem nostræ sententiæ existimamus. Veruntamen hunc etiam nobis eripere conatur P. Cumel, & columnam integram contra nos, & in suum fauorem inducit, sumptam ex libro 4. de Iustificatione, seu de Grat. & liber. arbit. cap. 18. Veruntamen hoc exemplo clarè intelligit Lector, non mala fide (hoc enim tam grauibis, & religiosis viris non tribuam), sed mala illatione citari auctores ab his Patribus. Nam omnia verba, quæ ibi Cumel refert, generalia sunt, ut quod nemo resistit voluntati diuinæ, quod salua libertate hominis, habet Deus omnipotentissimam potestatem in cor eius, quod iustificatio est quædam creatio, quia principium eius ex solo Deo est, ut datur gratia efficax, & quod Augustinus tribuit alicui vocationi efficacissimam & infallibilem operationem, salua libertate, quodque potissima, & efficacior causa, cur ex duobus vocatis hic conuertitur, & non ille, est diuina voluntas, prædeterminatio, & gratia. Ac denique quod licet voluntas possit semper resistere gratiæ, nihilominus aliquando infallibiliter non resistat.

23. Ex quibus omnia priora sunt à nobis in superioribus tradita, & comprobata, hoc autem vitium maximè reuocant aduersarij. Nam de auxilio prædeterminante docent, non solum voluntatem illi non resistere, verum etiam nec posse resistere. Stapletonius autem optimè docet omni præntia motioni Dei posse voluntatem resistere, licet interdum infallibile sit non resistituram, quia motio datur ex proposito, seu absoluta intentione Dei in occasione opportuna, cum præntia certitudine ex parte Dei, quæ in verbo infallibiliter denotatur. Ultra hoc verò expendat Lector, non vnum, vel aliud verbum illius libri, sed totam doctrinam seriem à principio vsque ad

Rr 2 finem,

finem, & sole clarius videbit, neque in vno verbo à nostra doctrina discrepare. Nam antea ponit præparantem, seu præuenientem, ac præmouentem, ac præuiam gratiam, quam Deus facit in nobis sine nobis liberè cooperantibus, & merè gratis, & in hac ponit initium iustitiæ, eamque constituit in moribus, & actibus vitalibus gratiæ excitantis, & per hanc dicit facere Deum ut velimus, & similia: huic verò statim subiungit voluntatis libertatem cum cooperante gratia neque aliam motionem prædeterminantem præuiam agnoscit.

24. Ut autem hoc fiat euidentius, & certissime constet quantum cohereant illæ locutiones generales cum nostra doctrina, non grauabor ad litteram referre alia eiusdem Auctoris testimonia, in quibus formaliter, & expressè prædeterminationem refutat, & congruam vocationem stabilit. Igitur in Antidotis Apostolicis ad Acta Apostolorum capite 9. circa illa verba Pauli, Domine, quid me vis facere? impugnans Caluinum, & defendens libertatem etiam in conuersione Pauli inter alia multa dicit. Tota illa vox Christi foris audita, & tota interna diuini Spiritus pariter loquentis inspiratio, atque persuasio nihil aliud erat, quam excitans, & præueniens gratia solius Dei, eiusque ineffabilis misericordie opus, sed gratia efficacissima, quia congrua, quia cum talibus visis coniuncta, quæ ad Sauli animum expugnandum aptissima esse, & certissimum effectum consequutura Deus præuidit, non autem talis gratia, quæ in ipso conuersionis instanti liberam Paulo cooperationem, liberam consentiendi, vel non consentiendi electionem tolleretur. quam doctrinam variis Augustini testimoniis confirmat, & post illam magis declarans adiungit. Hinc etiam certò colligimus, gratiam præuenientem, quæ non nisi à futuro effectu, efficaci gratia est, (nam gratia adiuuans, siue cooperans, à qua Caluinus semper abhorret, est in ipsa actus productione, siue in ipso conuersionis, aut alterius cuiusque boni operis actu,) non tantum natura, sed & tempore interdum hominis cooperationem, seu conuersionem prouenire. Vnde rursus sequitur, à præuenienti gratia, quantumcunque efficaci, humanam voluntatem non determinari, sed liberam relinqui. Quid enim voluntatem formaliter determinat, siue in malum, siue in bonum, non potest esse ipso actu voluntatis prius, nisi prioritate natura, in quantum videlicet à tali principio ille actus procedit. Nam actus voluntatis etiam in primo instanti, in quo producit, sicut duplex habet principium, à quo fit, Dei gratiam, & propriam voluntatem, ita à neutro prius quam ab altero, sed ab utroque simul in eodem instanti natura producit. Hoc nempe est, quod sapienter Bernardus scripsit, inducitque verba Bernardi, quæ à nobis in superioribus in eodem sensu tractata sunt. Eandem doctrinam inculcat idem Auctor in epistola ad Romanos, capite nono ubi pro fundamento efficaciæ gratiæ scientiam conditionatam supponit, ut in secundo Prolegom. vidimus. Item super Ioann. capite 15. & in Proptuar. Catholico fer. 6. hebdom. secundo Quadrages. & fer. tertia multa dicit, quæ in eo videri possunt, hinc enim omnia referre nimis prolixum est.

25. Octauo his adiungo Iacobum Paiua, qui in libro 4. Orthodoxar. explicat causam Patrum societatis Iesu contra calumnias Chemnitij assumptam. Hic enim cum libertatem arbitrij cum Luthero euertit, Iesuitas Pelagianismi insinulauit, eo quod libertatem cum gratia conciliarent, Paiua verò ita sententiam nostram interpretatur, & tueretur, ut simul prædeterminationem physicam non quidem his verbis, sed æquiualentibus, auferat, quia non credit aliter posse Chemnitij errorem refelli, aut vitari; vnde consequenter ostendit quam iniuste huius orthodoxæ sententiæ ali-

quid Pelagianismi erroris tribuatur. Quæ omnia, ut euidentius constent, pauca ex multis, quæ ille docet, ad verbum proferam. Et primò Iesuitarum doctrinam his verbis proponit. Et Janes, (inquit,) quamuis nos à diuina misericordia pendeamus, quamuis nihil boni operetur fidelis, quod in illo non efficiat Deus, quamuis non solum gratia conferatur, ut conuerti possimus, sed etiam ut conuertamur, etsi gratia hæc, quæ ad operandum necessaria est, & velle facit, non sit quæcunque inspiratio, aut cognatio sancta, seu boni propostus suggestio, sed efficax Dei operatio quamuis hæc omnia vera admitamus, & ex D. Augustini variis locis elici posse concedamus, homini tamen semper liberum relinquitur diuina operationi præbere impedimentum, eamque vel amplius, vel etiam repudiare. Et adiungit. Hæcine verba Chemnitij sunt liberum arbitrium à diuina gratia sciungentium? Quod declarans addit inferius. Apertè confitemur mentem nefariis cupiditatibus pressam, & scelerum monstris occupatam, à miserando illo statu restitutum nunquam posse, nisi diuina gratia allicitur, & diuino spiritu quasi stimulis quibusdam excitetur. Neque item oblatum sibi gratiam amplectari, nisi peculiaribus spiritus sancti impulsibus adiuuetur, aut, (ut suis utar verbis,) nunquam si ad gratiam applicare hominem posse, nisi eadem valens gratia adiuuentio sit. Quod tamen non impedit quominus liberum arbitrium vltro gratiam apprehendat, sique illi liberum eam reuicere, & aspernari. Et inferius iterum. Quid si voluntas à Deo mota non vltro vult, hoc est, non liberè sese ad gratiam applicat, voluntas dici non potest. Et infra, Quare qui diuina gratia hominum voluntates ita ad iustitiam allapuit, ut liberè illis nullo modo sit eam aspernari, & reuicere magis quidem iustitiam humanis mentibus à Deo obtrudunt, quæ scire, ut illam velint, existimare videntur. Egregia quidem sententia, quæ & aduersarios pungit, & potissimum illorum fundamentum in illos retorquet. Nam sine potestate resistendi ostendi non subsistere libertatem nostram cum diuina motione, & ideo Deum non ita fecere velle, ut nobis eripiat potestatem resistendi, quia illud magis esset obtrudere iustitiam, quam facere ut illam humano modo cum domino nostri actus velimus.

Vnde tandem in hunc modum concludit. Ex quibus manifestum sit, arque restitutum efficientem causam applicationis animi ad gratiam, hoc est, interius Dei vultum, cuiusculcandi, vel ingrati aspernandi esse cum gratiam ipsam, cum liberum arbitrium. Quæ duo nisi simul concurrant, perire non poterit, ut humana mens se toto impetu ad iustitiam adiungat. Nam etsi quedam sint, quæ Deus in nobis nullo nostro consensu antecedente efficiat, ut ad se nos vocare, voluntatem nostram ad iustitiam amorem excitare, hinc tamen gratia non repugnare, atque obstitere, sed ad illam se applicare, & adiuuare, atque diuino beneficio ad se delatam non repudiare, neque nostrum liberum arbitrium diuini auxilij experiri potest, neque diuina virtus in nobis facere, libero arbitrio non consentiente, solet. Vnde liquet ex gratia, & libero arbitrio vnicam causam consilari nostram ad iustitiam applicationis. Quare à Theologis nostris appositissime hæc Dei gratia cooperans appellatur, quia vna cum libero arbitrio operatur, ut diuinam gratiam non respuat, sed complectatur. Nihil quidem, & ad defensionem nostram, & ad veritatis declarationem, & probationem distinctius, aut efficacius dici poterat. Et nihilominus P. Cumel malè etiam fert, quod hunc virum pro nostra sententia allegauerim.

Non est graue testimonium Ioan. à Bononia in l. de prædest. ante sexaginta annos euulgato, vique anno 1555. ubi ipse docet libertatē consensu nostri cum diuina gratia in hoc consistere, quod voluntas resistere possit, & interdū resistat illi merè preuenienti gratiæ, cum qua potest consentire, & interdū etiam consentit; postea verò addit. Caterum non desunt multi homines, quamuis omni pietate præditi, aliter de libero hominis assensu dum iustificamur, quā nos sentientes, ac ideo Oecumenici Concilij Tridentini decreta obfcurare quodammodo videntur, dum aiunt, habere homines libertatē arbitrij, ut excitationi, & admonitioni diuinæ resistere possint, sed in

25.
Adiungitur
Iacobus
Paiua.

diuini inspirationibus, atque monitionibus suppositis nullum resistere arbitrium. Obscurare autem dixi, quoniam ex dictis Reuerendissimi Domini Hieronymi à Bonania Sanctissima Sedis Apostolica Nuncijs dignissimi, necnon Archiepiscopi Conitani, Professoris Theologiae peritissimi, atque sacri Palatii Magistris eximij, apud Carolum Imperatorem V. cognomine Maximum, Residentis eandem opinionem in sancta Tridentina Synodo fuisse summa diligentia à Patribus discussam, & tanquam minus probabilem optimo iure percipi reiectam.

Decimò solet pro hac sententia citari Corduba 1. suarum questionum q. 55. dub. 9. & 10. nec immeritò allegatur, quidquid in contrarium Cumel conetur. Nam ille Auctor pro comperto habet nullam suppositionem antecedentem, quæ in sensu composito inferat necessitatem, posse simul cum libertate actus stare. Vnde in dubio 9. notabili 2. supponit, ut fundamentum ab omnibus receptum de ratione liberæ potestatis esse, ut omnibus causis eodem modo se habentibus abq; vlla variatione in se, vel in alia re prius natura, quam in aliquo instanti velut possit diuisum non velle, seu nolle pro eodem instanti. Quod fundamentum rectè intellectum coincidit cum illo principio liberam causam esse, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest agere, & non agere. Et ex hoc principio procedit ad difficultatem communem de concursu in habitu tractandam. In qua omnis opinio nibus quas refert, impugnat, in summa distinguit inter concursum ad extra, & voluntatem Dei per quam datur. Et de concursu dicit esse concomitantem, & non esse conditionem antecedentem, & ita ex hac parte non repugnare libertati, Voluntatem autem Dei dupliciter, vel potius tripliciter considerat, sed duo signa sunt, quæ ad præsens referunt, vnum est, in quo Deus antecedenter offert suum concursum, & sic dicit, voluntatem Dei esse præuiam & ordine naturæ antecedentem, tamen ut sic non esse voluntatem efficacem respectu consensus voluntatis creatæ, sed tantum generalem, & illa etiam supposita non consentire. Aliud signum est in quo Deus efficaciter, & in particulari vult concurrere ad talem actum, & ut fiat, & hanc voluntatem Dei negat esse præuiam ordine naturæ, ideoque sub hac ratione non esse conditionem prærequisitam, solumque inducere necessitatem consequentem, quia in secundo signo medio inter illas duas volitiones Dei intelligitur determinata ad talem actum per coniunctionem ad voluntatem humanam, & prius ratione, quam Deus habeat illam volitionem præiudicem hominis voluntatem esse consenturam, & ex hac parte necessitas proveniens ex illa voluntate supponit liberum vsum, & applicationem voluntatis creatæ, atque ita non est conditio antecedens, sed concomitans, & ideo non lædit libertatem.

Et in fine addit, (quod ad præsens refert,) eodem modo philosophandum esse de concursu auxilij diuini specialis ad opera gratiæ, vel supernaturalia, & ad diligendum Deum super omnia. In qua doctrina nunc non discutimus modum explicandi concursum simultaneum Dei, sed solum expendimus, Cordubam in eo laborasse, ut non poneret ex parte Dei concursum prædeterminantem voluntatem humanam, siue ad opera ordinis naturalis, siue gratiæ, quia id credidit esse contra primum libertatis fundamentum. Vnde non solum tollit prædeterminationem per concursum præuium ad extra, qui sit per modum actus primi, vel tanquam complementum eius. Sed etiā per concursum ad intra, ut sic dicam, seu per voluntatem Dei efficacem, à qua proveniat concursus ad extra, nam dicit talem voluntatem vel non esse efficacem, si est præuiam, vel esse concomitantem, si est præiudicem, vel esse concomitantem, si est efficacem. Quod etiam aliqui ex nostris docuerunt. Et ob eam causam recedit Corduba à sententia Scoti dicentis Deum cognoscere futura contingentia in decreto

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

suæ voluntatis, quia decretum illud non potest esse efficax, nisi præuisa prius futura prædeterminatione libera nostræ voluntatis, quia alias tolleretur eius libertatem. Non solum ergo Corduba nostram sententiam, quoad punctum controuersie, & substantiale, (ut sic dicam,) sequitur, sed etiam indicat fundamentum eius sumptum ex conditione libertatis esse quasi axioma ab omnibus receptum, neque posse conuelli, & quoad hoc eandem rationem esse de operibus gratiæ & ordinis naturalis.

Vndecimò Albertus Pighius l. 6. de liber. arbitr. paulo post medium, referens illa impia verba Caluini, Voluntatem proinde mouet Deus, non prout multis sensibus traditum est, & creditum, ut nostra postea electionis sit, aut motioni eius obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter afficiendo. licet directè contra Caluinum dispuerit, ita verò agit, ut simul, prædeterminationem physicam impugnet, nihilque inter illam, & gratiam efficacem, quam Caluinus confinxit, discernat. Vnde Caluino dicenti: Neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audiuit à Patre meo, venit ad me, quam ut efficacem a seipso gratiam doceat, ille respondet, Tibi non credimus Caluine, secus accipi non posse hanc Christi sententiam. Et hac occasione ex professo probat, nec ex his verbis, nec ex alijs, Nemopotest venire, &c. nisi Pater traxerit, neque ex alijs similibus colligi auxilium præuium, ita ex se efficacem, ut liberum arbitrium non possit ei resistere & sepius resistat. Nam trahit Deus, sed voluntatem, ut Chrysostomus ait, & qui audit, venit, si tamen discat, id est, persuadeatur, quod ex eius voluntate pendet, quia Deus, (ut Cyrillus ait,) non trahit credentes, sed motione, & reuelatione ineffabiliter facta. Hæc ille ferè ad verbum.

Postea verò cum Caluinus diceret, docendos esse homines diuinam benignitatem expositam sine exceptione omnibus, qui eam querunt, sed cum ij eam querere incipiant, quibus diuina gratia aspirauit, nec hanc quidem portuinculam de eius laude discernendam fuisse. Quæ profectò assertio in sententia, quæ physicam prædeterminationem præuiam requirit, verissima est, & tamen contra illam sic insurgit Pighius. Hoc doces, omnibus expositam Dei gratiam, qui eam querunt, sed nullo posse eam querere priusquam ille suo beneplacito eandem nec desiderantibus, imò auersantibus, intruserit. Quid ergo aliud hic doces, quam nemini eandem esse expositam nec querendam cuiquam, ut que querit non possit, antequam habeatur, & habita possessaque frustra queritur, nec in cuiusquam præterquam vnus Dei potestate sit, ut habeatur, aut non habeatur. Hoc est Caluine docere homines? Doctores salutares, & verè Evangelicos. Certè argumentum si efficacem est, quæ procedit contra omnem gratiam præuiam, ac necessariam, & ex se efficacem, siue dicatur necessitare voluntatem ad exercitum atque, siue ita determinare, ut ei resisti non possit, quia omnis talis gratia à nemine queri potest, nisi iam habeatur, cum ad illam querendam necessaria sit, & postquam habeatur, frustra queritur. Est autem argumentum efficacissimum, ut ex suprà dictis constat. Nam licet possit quis effugere dicendo, per vnā gratiam sic efficacem posse queri aliam, facillimum est sic fugientem capere, quia nulla posterior gratia efficax queri potest, nisi per aliam priorem iam datam, vnde necessariò perueniendum est ad primam, quæ non possit queri, nisi prius habeatur, & ita illa frustra queritur, & de illa necessariò dicendum est in vnus Dei esse potestate, ut habeatur, vel non habeatur. Ergo cui illa non datur, frustra querit, imò impossibile est, ut querat, & ita illi non est exposita benignitas Dei. Nec ille cui datur, potuit illam querere, nec oportet illum monere, ut per illā aliam querat, quia inenitabiliter queret, cum non possit resistere primæ motioni efficaci, nec plus agere potest quam illam prædeterminetur. Refert etiam hunc Auctorem pro nostra sententia Ledesma in libro 3. de

R r 3

liber.

liber. arbitr. cap. 3. 4. & 5. Liber autem, quo vtor, non est in capita diuisus, totusque liber est de variis locis Augustini pro libero arbitrio. Ex quibus illud solum, quod dicit, *hanc autem, nunc noto, ait enim demonstrare Augustinum, voluntatem seipsam in sua potestate habere, & seipsa vii, ut ipsa inhaerente in commutabili bono, vitam beatam habeat, auersa verò illam amittat.*

22.
Producitur
Ekus.

Duodecimò expendere possumus duo testimonia Ioannis Ekij, quæ F. Cumel contra nos inducit, nescio quo iure, quia ipse illationis modum non declarat, & verba in vno loco sunt generalia, in alio nostram potius sententiam continent. Vnus locus est in Enchirid. capite 31. in quo Ekus dicit, Deum esse primam causam, sine qua nihil sit, & specialiter concurrens ad opera bona, & mouens omnia, singula iuxta vniuersi sui proprietatem, irrationalia naturaliter, rationalia leberè. Sed hæc nihil ad causam referunt, omnes enim illa docemus, & ex illis solum inferri potest, quòd Deus, ut causas liberas modo consentaneo naturæ illarum moueat, non illas prædeterminat, sed indifferentem motionem præbet, aut offert, cui illæ causæ vel resistere, vel cooperari possint. Alter locus est in libr. de Prædestination. centur. 3. numer. 67. vbi ex quodam Henrico Gorcheim duplicem distinguit motionem Dei grauitam, vnam sufficientem, quam Deus nemini denegat. Aliam efficacem, quam subdistinguit, vno modo, (inquit,) ut sit genus motionis, quæ specialiter mouentur prædestinati, quæ respersa quodam suauitatis odore, intima viscera animæ fecundando, deformat, & in cælesti desiderium transmutat. Potest & alio modo dici motio efficax, quæ assequitur, consequi gratiam, & si in ea perseverat, saluari, & nihilominus priorem, quæ altioris ordinis est, solis prædestinationis dari.

Gorcheim.

Cumel.

Hæc allegat Cumel, & non ampliùs vel inducendo, vel respondendo illa euoluit. Ille tamen Auctor in posteriori membro vocationis efficacis, plus dicit in nostra sententia, quam velimus. Docet enim aliquam vocationem esse efficacem ex solo effectu, & non esse maiorem gratiam in eo, qui consentit, quàm in eo, qui resistit. Defendit enim ibi opinionem asserentem, in multis eorum, qui saluantur, rationem totius prædestinationis, esse bonum vsum vocationis. Vnde consequenter negat, vocationem esse effectum prædestinationis, sed generalis prouidentia gratia: negat item bonum vsum vocationis ut est à libero arbitrio, esse effectum prædestinationis, nedum gratia: prædeterminantis. In his ergo euidenter eam tollit, & consequenter negat, illam esse de ratione auxilij efficacis.

33.
Distinguitur
ordines
saluandorum.

Distinguit verò ille Auctor duos ordines saluandorum. Vnus eorum est, qui per communem gratiam saluantur, in quibus datur communis prædestinationis ratio; alius est ordo singulariter prædestinatorum, ex gratuita Dei voluntate, sine vlla ratione ex parte illorum, & his dicit dari priorem modum gratia: efficacis. Veruntamen neque illam ponit hic Auctor in motione pertinente ad concursum Dei physicè prædeterminantem, sed in motione morali magis suavi, & ad mouendum voluntatem accommodata, planè Augustiniano more. Hoc enim euidenter indicant illa verba. *Quæ respersa quodam suauitatis odore intima viscera animæ fecundando deformat, &c.* Et item illa motio nihil est aliud, quàm gratia congrua. Quod ergo ad causam nostram attinet, ille Henricus manifestè docuit nostram sententiam. De Ekio verò nihil certò affirmare possumus, nam in fine illius §. subdit, *Nolo tamen existimet me omnia Henrici dicta recipere.* Quod fortasse dixit propter prius membrum gratia: efficacis, nam aliud ipse supponit tanquam fundamentum sententia: de Prædestination. quam ibi prosequitur. Nos au-

tem quoad eam partem, sententiam illam reiicimus, quia connexa non est cum sententia de vocatione congrua, ut in cap. vlt. huius libri explicabimus.

Ultra hæc testimonia, quæ grauiora sunt, alia breuiter percurreremus, & inlinuabimus, non quia Doctores minoris auctoritatis sint, sed quia obiter, vel nimis breuiter punctum attingunt, eostamen omittēdos censuimus, quia vel in modo loquendi, vel in sententiis, quas obiter proferunt, satis indicant quendam vniuersum consensum, in hoc principio, quod efficacitas gratia: quoad consensum ætalem non prædeterminat voluntatem, sed ex ipsius libero vsu pèdet. Primò ergo in hoc secundo ordine pono Cardinalem Contarenum in l. de Prædest. vbi inter alia non longè à fine ita concludit. *Quo fit, ut non ex gratia ipsius efficacitate, sed ex ipsius voluntate pendeat, quominus illa cordis obsequio perueniat.* Vbi non negat gratia: concursum, sed nomine efficacitatis illam intelligit, quam gratia ex se habet ad determinandam suauitatem.

Secundò allego Iodocum Clichtouem in Compendio assertionum fidei, ex Concilio Senonensi cap. 23. quod est de libero arbitrio, vbi cum reculisset verba Damasceni excludentis necessitatem ab operibus liberi arbitrij, subdit hæc verba. *Quæ omnia aequè militat contra eos, qui subitum hominum actus inuentabili necessitati, vndeque illam pendere dicunt, siue ab ipsius astrorum latronibus, ut autumant illi, contra quos superioribus verbis agit Damascenus: siue à fato quodam inexorabili, ut posuerunt Ethnici quidam, siue à futurorum absoluta quadam necessitate, quæ contingentiam non admittit, ut falso putarunt nonnulli de diuina præscientia, ac prouidentia malè sentientes.* Et in frà optimè declarat, quomodo dici possit diuinum auxilium subesse voluntati hominis, scilicet, quia ex parte Dei offertur, & si petatur, obtinebitur, & in homine est, vel illo bene vti, vel illud negligere. Et de his qui negligunt, subdit, *Nunquid huiusmodi error in via morum asserendus est dura ciuidam necessitate, aut destructioni liberi arbitrij? Nequaquam, &c.* Ac denique tam multa in hac sententia dicit soluendo obiectiones omnes, quæ nobis solent ex Scriptura opponi, ut inter eos, qui sententiam nostram expressè docent, meritò numerari possit.

Tertiò expendere oportet locum Iansenij in Concord. cap. 59. ad verba Christi Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, &c.* quia F. Dauila & Cumel de illo nobiscum contendunt. Verba autem, quæ referunt in sententia solum continent generalem doctrinam, nimirum, Deum efficaciter excitare mentes hominum, & longè aliter mouere intellectum, & voluntatem, quàm alius homo, vel Angelus, nimirum propriè & physicè in illa interiùs efficiendo ipsosmet talium potentiarum actus. Vnde notat etiam distinctionem inter verbum *trahendi*, & *veniendi*. Nam prius gratuitam Dei motionem præuenientem omne meritum, & vsum libertatis, & gratia: diuinæ efficaciam indicat; posterius autem verbum *veniendi* ostendit hominis libertatem, quæ per gratiam Dei efficacem non læditur, quæ omnia, ut dixi, generalia sunt, & potest vnaquæque opinio illa in sensu interpretari. Vlteriùs verò proponit Iansenius dubium à nobis latè discussum, quomodo cum necessitate tractionis illi, qui non trahuntur, sua culpa non veniant, quando sufficienter fidem audiunt. Et post multa, quæ dicit circa Chrysostomi responsiones, in quibus aliquid statim notabimus, in summa respondet cum Augustino, eos, qui non trahuntur, non excusari, quia obicem, & impedimentum posuerunt diuinæ attractioni, dum accepti à Deo non bene vtuntur. Hæc autem responsio non habet locum posita necessitate auxilij prædeterminan-

nantis, ut saepe ostensum est, quia si illud est necessarium ad omnem bonum usum praeuenientium donorum gratia, etiam primae vocationis; ergo necessarium sistendum est in aliquo, quod non negatur propter defectum boni usus, quia ante usum, qui est effectus eius, nullus bonus usus esse poterat, & ab illo pendente consequenter reliqua. Illa ergo responsio ostendit, Iansenium per gratiam efficacem non intellexisse auxilium praedeterminans, neque sententiam Augustini de illo intellexisse. Accedit, quod prius referens Chrysostomum dicentem, aliquando nos incipere bonum opus, & inde sumi rationem, (utique proximam,) cur iste trahatur, & non ille; illum recte defendit à Semipelagiano errore, quia supponit gratiam excitantem, qua posita recte dicitur homo incipere consensum, non tamen sine gratia adiuvante, & principaliter efficiente propriè, ac perficiente ipsum consensum. In quo satis etiam aperte sentit, postquam gratia praeueniens dedit homini potestatem propinquam, & proximè elicitiuam actus, non esse necessarium aliud initium solius Dei praedeterminantis, sed potentiam posse immediatè inchoare suum actum, quia illi potentia sic constituta in actu primo propinquo nihil deest nisi executio actus, ut idem Auctor paulò antea dixerat, quod tamen initium executionis non est sine gratia cooperante, ut idem etiam docet.

Quarto allegari solet pro nostra sententia Rosenfis, art. 36. contra Lutherum, nec immeritò, tum quia impugnando haereticos, impugnatur omnem antecedentem necessitatem, ut libertati contrariam tum etià, quia expresse, ac saepius docet auxilium Dei ita conferri homini antecedenter, ut in manu eius sit illo bene uti sine aliqua praeueniente determinatione, & per illud ad gratiam sanctificantem praeparare, *Quod cum sua sponte*, (inquit) *non coactus faciat, contingenter utique facit; nec tamen per hoc, ait prouenit Deus, aut de nouo quicquam vult, quod antea noluerat. Quae res vniuersi consensu Patrum traditur. Hæc ille verus finem in §. Verumque sicut diximus.*

Quinto allegatur Horant. lib. 1. de locis Cathol. qui totus est contra errorem Caluini de gratia efficaci auferente libertatem, per quamdam verò coniunctissimam sympathiam, seu consecutionem simul praedeterminationem oppugnat, & eius fundamenta dissoluit. Tale illud est, quod cap. 31. contra Caluinum defendit, rationem discriminis, cur iste vocatus venit, & non ille, optimè ex libero arbitrio sumi, quia scilicet, hic manum porrigit, & non alius. Item cap. 42. irridens Caluinum, ait. *Opulchram consecutionem, Deus humanum cor emollit; ergo seipsum flectere non potest, libet ridere. Et infra. Quasi verò non magis quadrent celestis fauor, & nostrae vires, quam quicunque alius concursus causa superioris cum inferiori.* Item in multis quæ cap. 47. & 51. dicit, praedeterminationem planè excludit, & praesertim cap. 53. ubi distinguit gratiae dona in tres ordines, prout Soto antea fecerat, & in secundo ponit actus pietatis liberos in quibus nihil dicit operari Deum, nisi cooperante libero arbitrio, nec inter illos, & priores motu gratiae excitantis medium auxilium à solo Deo factum agnoscit, multa quæ alia in sequentibus capitibus vique ad 58. notari possunt.

Sextus sit Franciscus Carthag. in tractatu de praedestinat. praesertim discursu 4. & 8. ubi ex professo probat determinationem nostrae voluntatis, nec fieri sola Dei actione, nec sine illa nobiscum cooperante.

Septimus Delphi. Saepius materiam hanc indicat lib. de rerum euentu, & lib. 4. deliber. arbitrii, & lib. 5. de Iustific. & lib. 2. de praedestinat. per totum, praesertim duh. 2. ubi inter alia multa dicit, voluisse Deum ut hominis ipsi ad alterutram

partem determinent, & ideo post vocationem expectare illos, ut eis suam gratiam impendat, & ab eorum libertate pendere, quod vocatio efficax, vel inefficax sit, & similia.

Octauo his annumerari potest Franciscus Romanus Magister Generalis sacrae Religionis Praedicatorum. Nam in libr. de necessitat. & libert. oper. ex professo docet, necessitatem ex suppositione antecedenti esse contrariam libertati, & hanc fuisse sententiam communem Patrum, & Concilij Tridentini, cui interfuit.

Et nonò ei adiungimus Thomam Elisum eiusdem familiae Theologum in libr. de liber. arbitrii q. 4. art. 8.

Decimus refertur Franciscus Balchar. Episcop. Mitenf. lib. contra Caluinum.

Vndecimus Bunder. in Compend. controuer. Theolog. libro 7. de Grat. & liber. arbitrii. art. 7. & in secuto fidei tit. 10. de lib. arb. proposit. 4.

His addimus Cunerum lib. de Grat. Christi cap. 10. & lib. de Grat. & liber. arbitrii. cap. 10. ubi inter alia ait, concursum causae primae non esse aliquid prauum in causa secunda, ac proinde utramque causam simul concurrere, solamque primam dici priorem, quia superior est, à quo inferiores pendunt, & ibi etiam laudat sententiam Driedonis, & sententia Ricardi, dicentium ex duobus similiter vocatis vnum posse conuertere, & non alium pro sua libertate: quia verò Ruardus addidit particulam *sola*, ipse bene declarat illam particulam solum excludere aliam praeuenientem gratiam, non Dei cooperationem, quæ simul incipit, & definit cum libero voluntatis opere. Ac denique per varias assertiones sententiam hanc defendit, & declarat. Siceriam

Ioannes Maria Verratus in Apologia contra fautores Lutheranorum dicit, in illa sententia lib. de Ecclesiast. dogmat. Initium nostrae salutis Deo miserante habemus: ut verò acquiescamus salutaris inspirationi nostrae pietatis est. Vnum solius Dei esse, scilicet, initium salutis, aliud esse in mera facultate nostri liberi arbitrii, scilicet, acquiescere, &c. ubi videtur excedere illam particulam *mera*, sed eandem habet intelligentiam, quia non est posita ad fauendum Pelagio, sed ad contradicendum Caluino: non ergo excludit adiuvantem gratiam, sed praedeterminantem.

Praeterea Iulius, Sirenus in Compend. de praedestinat. lib. 2. de Reprobat. cap. 18. eiusmodi praedeterminationem disertè excludit, Ioannes Maria Capella lib. de Concord. libertatis humane cum diuina praescientia p. 1. cap. 26. & p. 2. c. 5. 6. & 7. Felicianus Capionius in explicationib. Catholic. part. p. 1. secunda, explicatio. 55. Petrus Aurelianus Sanutus in recenti Lutheranorum propugnatione digressio. tertia. Sadelet in Epist. ad Roman. capite octauo Oforius libro 9. de Iustit. qui etiam excedit in negotio praedestinationis, sed nunc illud non agimus.

Praeter hos Auctores nonnullos commemorat F. Cumel & de quibusdam solum dicit allegari à nobis, nostram verò non docere sententiam; de aliis verò ait etiam suam tradidisse. In priori ordine ponit Sixtum Senens. lib. 6. Bibli. ann. 248. non Sixtum Senens. designat autem quis ex nostris illum in hoc puncto Iansen. allegauerit, neque ego noui. Item Iansenium Ecclesiast. 15. & Ekium in Enchirid. capite 31. Qui certè in his locis nihil dicunt, quod ad causam pertineat. In alio vero ordine praeter alios, de quibus iam dixi, in primis adducit Petrum Soto in Institut. Sacerdot. lect. 9. de poenit. quia dicit operationem Dei esse efficacem, & naturam priorem in conuersione peccatoris. Sed hæc, & omnia, quæ ibi dicit, generalia sunt, possuntque optimè intelligi,

40.
Ad numeratur Franciscus Romanus.

41.
Adiungitur Thomas Elisus.

42.
Refertur Rom. Balchar.

43.
Additur Bonderus.

44.
Adiungitur Cunerus.

Laudatur sententia Driedonis, & Ruardi.

Ioannes Maria Verratus

45.
Adponitur Iulius Sirenus.

Ioan. Maria Capella.

Felicianus Capionius.

Petr. Aurelianus Sanutus.

Sadelet. Oforius.

46.
Sixtus Senens.

Iansen. Ekium.

Petr. Soto.

Hieron.
Perez.

Si, vel de vocatione congrua, & efficaci, vel de operatione, qua Deus nobiscum cooperatur: aperte enim declarat esse priorem natura ratione independentia, quia Deus, à nulla causa penderet, sed alia ab ipso. Addit Hieronymum Perez sui ordinis virum doctissimum in Commentar. ad 1. part. D. Thomae quest. 19. art. 2. & quest. 22. art. 1. 2. & 3. Sed hunc Auctorem videre non potui, neque ego scio, an scripta eius typis mandata sint. Quae tamen ipse refert, valde generalia sunt, ut quod Deo attribuit efficaciam gratiae, quia non solum attingit rem, sed etiam modum fiendi, & quod praedestinat actus liberos, & similia, de quibus nunc non est controuersia, ut saepe dixi.

47.
Medina.
Cordub.

Tertio refert Medinam Complutensem, de quo nihil aliud affert, praeter id quod refert Corduba loco supra citato, de cuius sententia iam satis dictum est, nec Medina aliud refert, nisi quod Deus concurrat cum causis secundis per suam voluntatem, quod nemo negat; de modo autem voluntatis, & concursus est controuersia. Allegat praeterea Franciscum à Christo in 1. d. 39. & d. 40. & 41. sed in priori loco solum agit de concordia diuinae prouidentiae cum libero arbitrio, & refert varias sententias, nihilque satis definit: neutram autem ex his, de quibus nunc tractamus, in particulari attingit, sed vel in generali contentus est illa responsione communi, quod efficacia diuinae voluntatis tanta est, ut effectus, & modos eorum prouideat, vel descendendo ad modum particularem magis inclinat in quandam Gregorij sententiam nostrae valde a finem. In posteriori autem loco tractat de causa praedestinationis, nihil verò de nostra causa attingit. Denique allegat Cosm. Philircum in quaest. de causa praedestinati & reprobati. ad Gregor. XIII. à c. 11. vsque ad 15. & 13. de dogmatib. fidei c. 24. ubi docet, Deum determinare voluntatem per auxilium gratiae, & prius natura. Ille verò auctor licet de prima conuersione id late doceat, praefertim in c. 11. de Praedestinat. nihilominus expresse dicit in actibus moralibus voluntatis, imò etiam in multis operibus gratiae postquam homo est in gratia, ipsum hominem se determinare, & rationem determinationis immediate à voluntate sumi, imò dicit in his actibus voluntatem cum se determinat esse priorem natura concursu Dei, solum ergo excipit primam gratiae acceptionem. In quo certe non consequenter loquutus est, nec pro aliqua sententia earum, quas tractamus, allegari potest. Magis tamen fauet nostrae, quia docet praedeterminationem physicam non esse necessariam ad omnes actus, modum autem specialem, quo Deus determinat voluntatem ad primam gratiae acceptionem, non declarat. Quapropter, si quis velit, quae attulimus, attentè ponderare, vel auctores ipsos euoluere, facile intelliget, nostram sententiam fuisse communem Theologorum consensum, priusquam à paucis modernis in dubium vocaretur.

Cosm. Philircus.

CAPVT LII.

Tractatur questio appendix, an gratia praeueniens auxilium sufficiens, & efficax possint esse aequalia in duobus hominibus, quorum unus consentit vocationi, & non alter.

^{1.} **P** Robando sententiam nostram, simul fundamēta contrariae sententiae, tam quae ab auctoritate, quam quae ratione petuntur, dissoluimus; tunc verò duas, vel tres appendices quaestiones, quae hic

tractari solent, & in lib. 3. de Auxilio à nobis disputata sunt, hic addere oportet, tum ad materiae complementum, tum quia aliquid in eis addendum occurrer, quod ad maiorem veritatis confirmationem, ac declarationem, & aliarum obiectionum expeditionem conferret. Solent ergo obiectionum maximè nobis obicere, quod ex nostra sententia sequatur ex duobus hominibus recipientibus aequalia gratiae auxilia, contingat vnum conuerti, & non alium, quod maximum reputant inconueniens. Sequela videtur manifesta, quia stante eodem auxilio potest homo operari, & non operari, ergo idem homo cum eodem auxilio potest vno tempore consentire, & non in alio; ergo pari, vel maiori ratione ex duobus hominibus vnus cum equali auxilio poterit consentire, licet alius dissentiat. Falsitas autem consequentis solet à dictis auctoribus precipue probari: quia in eo, qui consentit, Deus actus facit ipsum actum consensus, quem non facit in alio; ergo necessario dat illi maius auxilium. Hae verò probatio diuertit à vero sensu quaestionis, & ex aequocatione procedit, quā ante omnia tollere necesse est.

Primum ergo omnium distinguere oportet inter auxilium praeueniens, & concomitans, quod est ipsum actus influxus Dei in actum liberum hominis supernaturalis, qui influxus in reno distinctionem gignit ab actione libera hominis, sed est eadem, ut semper actualis influxus Dei in actum liberum hominis manans à Deo, ut saepe dictum est. Hic ergo influxus est in eo, qui conuertitur, & non in eo, qui restit, unde non sunt aequales, nec esse possunt in auxilio concomitante. Nec refert, quod Deus sit paratus ad dandum simile auxilium ei, qui non conuertitur, & quod per eum stet, quo minus illud recipiat: nam hoc non obstat quo minus in alio pertineat ad maiorem Dei gratiam recipere actualiter illud auxilium, quo alius ex negligentia sua caret. Semper igitur qui conuertitur, habet ex hoc capite maius auxilium, & consequenter maiora etiam dona, vel actualia, nam ipsi meriti actus sunt dona Dei, vel habitualia, quae ratione actuum infunduntur. Vnde ad tollendam hanc aequocationem, & omittendum hoc punctum, de quo non potest esse controuersia, quaestione posui de solo praeueniente auxilio, seu de vocatione, in qua punctum est difficultatis.

Secundo supponere oportet, auxilium praeueniens duobus modis spectari posse. Primo secundum suam entitatem, & vim quam habet ad mouendam, & trahendam voluntatem, siue illa vis physica sit, siue moralis. Secundo potest considerari in ratione doni, & beneficii gratuiti: non enim semper haec duo aequaliter, seu cum eadem proportionem alicui rei conueniunt, sed interdum illud donum, quod in sua entitate ab soluta, vel minus est, vel non maius, in ratione beneficii, & doni moraliter existimatur maius propter diuersos respectus, maximè verò, quia in ea opportunitate datur, in qua vel magis necessarium est, vel maiorem fructum homini est allaturum. Sic certe contritio data homini in medio vitae, à qua fortasse postea recedet, vel data in extremo vitae, & cum qua saluetur, non reputatur aequale beneficium, sed hoc potius multo maius, etiam si fortasse contritio ipsa nec in intentione, nec in duratione, nec in auxiliis ad eam necessariis sit maior, imò etiam sit minor. Ratio autem est, quia beneficium, & gratia, sicut etiam misericordia, vel elemosyna, non attenditur solum ex quantitate doni, sicut motio, vel auxiliū, sed maximè ex affectu dantis, & ex comoditate recipientis, & ex effectibus, vel fructibus, qui de facto in tali dono, tanquam in semine, & in virtute continentur, ut facile posset humanis exemplis monstrari, sed res est per se satis clara.

Tertio supponendum est vocationem, seu gratiam efficacem praeuenientem in ratione gratiae, & be-